Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5915
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48"> <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg">



Galathas

in aliq̃ delicto nos q̃ spiritales estis huiusmodi instaurate in spiritu lenitatis
considerans teipsum ne et tu tentaris Alter alterius onera portate
et sic adimplebitis legem xpi Nam si quis existimat se aliquid esse
cum nihil sit, ipse se seducit Opus autem suum probet unusquisque et sic
in semetipso tantum gloriam habebit et non in altero Unusquisque enim onus
suum portabit Coniicit autem is qui catechizatur in uerbo et q̃ se catechizat in
omnibus bonis Nolite errare deus non irridetur Quecumque enim seminauerit
homo hoc et metet quia si seminat in carne sua de carne et metet
corruptionem Qui autem seminat in spiritu de spiritu et metet uitam eternam
Bonum autem facientes non deficiamus Tempore enim suo metemus non
deficientes Ergo dum tempus habemus operemur bonum ad omnes maxime autem
ad domesticos fidei Videte qualibus litteris scripsi uobis mea manu
Quicumque enim uolunt placere in carne hii cogunt uos circumcidi tantum ut crucem
xpi persecutionem non patiantur Nec enim qui circumciduntur legem custodiunt sed
uolunt uos circumcidi ut in carne uestra glorientur Michi autem absit gloriari nisi in cruce domini nostri ihesu xpi per quem mihi mundus crucifixus est et
ego mundo In xpo enim iesu neque circumcisio aliquid ualet nec preputium
sed noua creatura Et quicumque hanc regulam secuti fuerint pax super illos
et misericordia et super israhel dei De cetero neminem molestet Ego
enim stigmata domini nostri ihesu xpi in corpore meo porto Gratia domini
nostri iesu xpi cum spiritu vestro fratres amen Incipit argumentum in epistolam ad ephesios

Explicit epistola ad galathas

Ephesii sunt asiani hii accepto uerbo uitae perstiterunt
in fide hos collaudat apostolus scribens eis a roma de carcere
per tychicum diaconum Quorum primus est epistola ad ephesios

Ad Ephesios I

Paulus apostolus ihesu xpi per uoluntatem dei sanctis omnibus qui sunt
in ephesi et fidelibus in xpo ihesu Gratia uobis et pax a deo
patre nostro et domino ihesu xpo Benedictus deus et pater domini nostri ihesu xpi qui
benedixit nos in omni benedictione spiritali in celestibus in xpo sicut elegit
nos in ipso ante mundi constitutionem ut essemus sancti et immaculati
in conspectu eius in caritate Qui predestinauit nos in adoptionem filiorum
per iesum xpum in ipsum secundum propositum uoluntatis sue in laudem gloriae sue
in qua gratificauit nos in dilecto filio suo in quo habemus redemptionem
per sanguinem eius remissionem peccatorum secundum diuitias gratiae eius quam superabundauit